



Universitätsbibliothek Paderborn

Decisiones Practicæ Casuum Conscientiæ Selectorum In Praxi, Et Foro Interno Quotidie Occurrentium, Omnibusque, Præsertim Ecclesiasticis, Qui Sui, Et Aliorum Curam Gerunt, Perutilium, Resolutorum

Pars Altera Decisionum Practicarum Casuum Conscientiæ Selectorum In
Praxi, Et Foro Interno Quotidie Occurrentium, Omnibusque, Præsertim
Ecclesiasticis, Qui Sui, Et Aliorum Curam Gerunt, Perutilium, Resolutorum

Leonardelli, Bonaventura

Augustæ Vindelicorum ; Græcii, 1739

Q. 1. An Clericus absque periculo irregularitatis possit furem, seu
raptorem suarum rerum Judici denuntiare, præmissâ protestatione,
etiamsi ex qualitate delicti sciat, aut prævideat, eum ad mortem ...

urn:nbn:de:hbz:466:1-41144

CASUS LXVI.

*De irregularitate Clerici furem suarum rerum
Judici denuntiantis.*

FAustinus Parochus ex cuiusdam personæ ægrotantis visitatione sub noctem domum redux advertit duos fures in ipsius cubiculum irrepsisse, advocat proin excitato clamore domesticos in auxilium, qui illicò accurentes furem unum per murum descendantem plumbea sclopeti glande traiiciunt, altero fuga dilapoſo, quem cum Parochus de facie satis novisset, eum præmissa debita protestatione Judici denuntiat, & pro rebus sibi ablatis satisfactionem petit, qui furem paulo post captum, & ad se adductum, cum eum plurimum gravium furtorum reum invenisset, morti adjudicat.

QUÆR. I. An Parochus absque periculo irregularitatis possit furem, seu raporem suarum rerum Judici denuntiare præmissa protestatione, etiam si ex qualitate delicti sciat, aut prævideat, eum ad mortem condemnatumiri?

QUÆR. II. ique tam in causa propria, quam aliena?

QUÆR. III. An Clericus excusat ab irregularitate, si denuntians, aut accusans protestetur solum oretenus, & externè, interne autem & in animo contrarium sentiat?

QUÆR. IV. An Clericus clamando, & alios in auxilium vocando incurrat irregularitatem, si fur cum rebus furtivis aufugiens ab accurentibus, & supervenientibus occidatur?

AD I. Q. R. Parochum, seu alium Clericum, aut Religiosum, qui in suis propriis, aut etiam Ecclesiæ sue bonis grave damnum injuriolè passus est, non incurrere irregularitatem, si fu-

Fff 2 rem,

rem, seu malefactorem Judici denuntiet, dummodo expressè protestetur, se poenam sanguinis non intendere, sed satisfactionem, quamvis ex qualitate criminis timeat, vel sciat, reum à Judice, causa examinata, morti fore adjudicandum. Ita docent Navar. c. 27. num. 213. Covar. in Clement. p. 2. §. 5. Cajetan. 2. 2. q. 33. a. 7. Sotus l. s. de Just. q. 5. a. 1. Molina D. 8. n. 3. Suarez D. 47. 8. 2. Palao de censur. D. 6. p. 14. Bonac. D. 7. q. 4. p. 2. Laym. 1. 3. tr. 3. p. 3. c. 7. aliisque.

Ratio petitur ex c. 2. de homicid. in 6. ubi accusantes, seu denuntiantes in causa propria ab irregularitate excusantur, si protestentur expressè, se sanguinis vindictam non postulare, sed satisfactionem, cuius rationem reddens ait: *Alioquin, si Prælati, aut Clerici propter metum hujusmodi, quia Judex ad poenam sanguinis posset procedere, de suis malefactoribus taliter conqueri non auderent, daretur plerisque materia trucidandi eosdem, & eorum bona liberè deprædandi.* Unde merito hac de causa jus prævidit, qualiter absque periculo irregularitatis possent contra sic delinquentes insurgere, eosque accusare, seu denuntiare, etiam pro casu, quo prævident, vel sciunt, Judicem occasione hujus, ex Officio movendum ad mortis suppliium inferendum præmissa debita protestatione; alias vñ Clericis, & Religiosis, eorumque bonis, nisi ejus-

modi media eis suppeterent ad sursum, ac malefactorum audacia in compescendam.

Notandum tamen hinc est cum Suarez, Palao, Laym. aliquisque cit. prædictam protestationem locum habere in actione duntaxat civili, & non in criminali; nam si criminaliter accuses, vel denuntiates, hac ipsa accusatione protestaris punitionem, & vindictam querere, ac proinde adjectam protestationem ipso facto destruis & elidis, nec excusaberis ab irregularitate, et si vindictam petas contra deformationem, quia petitam vindictam non est in tua potestate limitare poenam, sed Judex juxta delicti qualitatem infligere illam debet, & cum sit ad tui instantiam, causa eris deformationis, nihilque tibi proderit protestatio tua, ut potest factio contraria.

Quod dictum est de accusante, vel denuntiante dicendum etiam est de clamante, detinente, comprehendente & Judici tradente damnificatorem, ut notant cit. DD. quia haec actiones sunt media ad præcavendum damnum, vel jam illatum compensandum: ergo quae ratione licet denuntiare, licet etiam has actiones ponere; nam cui finis permisus est, etiam media ad eum necessaria permissa censemur. Dixi supra in causa propria; unde

Ad